

M I S S Æ
AD USUM DIÆCESIS
LEONENSIS,

JUSSU ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI D. D.

JOANNIS-LUDOVICI
GOUYON DE VAUDURANT,
EPISCOPI COMITIS LEONENSIS.

Editæ Anno Domini. 1761.



LEONIÆ,


Apud JOANNEM-P. DE CRÉMEUR, Illustr. & Rev. Episc. Comit. Leon.
Cleri & Collegii Typogr. & Bibliopolam.

M. D C C. L X I.



Église catholique
en Finistère

Document numérisé en 2023



MISSÆ

AD USUM DIÆCESIS

LEONENSIS,

JUSSU ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI D. D.
JOANNIS-LUDOVICI GOUYON DE VAUDURANT,
Episcopi Comitis Leonensis.

FESTA JANUARI.

Die v.

IN FESTO SS. ANGELORUM,
Regis & Regni Galliæ Custodum.

*Missæ Benedicite Dominum, ut in
die 2 Octobris, præter primam Oratio-
nem, quæ dicitur ut infra.*

Oratio.

DEUS, qui ineffabili providentiâ
Sanctos Angelos tuos ad Regum
& Regnorum custodiam mittere dig-
naris, largire Christianissimo Regi nos-
tro N. & omnibus Subditis ejus, &
eorum semper in terris protectione de-
fendi, & æternâ in cœlis societate gau-
dere. Per Dominum nostrum.

*Deindè fit commemor. Vigil. Epiph.
dicitur Credo.*

Dominica II. post Epiphaniam.

IN FESTO SS. NOMINIS JESU.

Introitus.

IN Nomine Jesu omne genu flecta-
tur, cœlestium, terrestrium & in-
fernorum; & omnis lingua confitea-
tur, quia Dominus Jesus-Christus in
Gloriâ est Dei Patris.

Psalms. Domine Dominus noster,
quàm admirabile est Nomen tuum in
universâ terrâ. *ÿ.* Gloria Patri.

Repetitur. In Nomine Jesu, &c.

Oratio.

DEUS, qui unigenitum Filium
tuum constituisti humani generis
Salvatorem, & Jesum vocari jussisti:
concede propitius, ut cujus sanctum
Nomen veneramur in terris, ejus quo-
que aspectu perfruamur in cœlis. Qui
tecum vivit. *Fit commemor. Dominicæ.*

Lectio Actuum Apostolorum.

IN diebus illis : Petrus Spiritu Sancto repletus, dixit : Principes populi, & Seniores, audite : Si nos hodie dijudicamur in benefacto hominis infirmi, in quo iste salvus factus est, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israël : quia in Nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitavit à mortuis, in hoc iste astat coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli : & non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud Nomen est sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.

Graduale. Salvos fac nos, Domine Deus noster, & congrega nos de nationibus : ut confiteamur Nomini sancto tuo, & gloriemur in gloriâ tuâ. *ψ.* Tu, Domine, Pater noster, & Redemptor noster, à sæculo Nomen tuum. Alleluia, alleluia. *ψ.* Laudem Domini loquetur os meum, & benedicet omnis caro Nomen sanctum ejus. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore : postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur Puer : vocatum est Nomen ejus **JESUS**, quod vocatum est ab Angelo, priusquam in utero conciperetur.

Dicitur Credo, &c.

Offertorium. Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo : & glorificabo Nomen tuum in æternum. Quoniam tu, Domine, suavis

& mitis, & multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Secreta.

Benedictio tua, clementissime Deus, quâ omnis viget creatura, sanctificet, quæsumus, hoc sacrificium nostrum, quod ad gloriam Nominis Filii tui Domini nostri Jesu Christi offerimus tibi : ut Majestati tuæ placere possit ad laudem, & nobis proficere ad salutem. Per eundem.

Præfatio de Nativitate.

Communio. Omnes gentes quascunque fecisti venient, & adorabunt coram te, Domine, & glorificabunt Nomen tuum : Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia : tu es Deus solus. Alleluia.

Post-communio.

OMnipotens æterne Deus, qui creasti & redemisti nos, respice propitius vota nostra ; & sacrificium salutaris hostiæ, quod in honorem Nominis Filii tui Domini nostri Jesu Christi, Majestati tuæ obtulimus, placido & benigno vultu suscipere digneris : ut gratiâ tuâ nobis infusâ, sub glorioso Nomine Jesu, æternæ prædestinationis titulo gaudeamus nomina nostra scripta esse in cœlis. Per eundem Dominum nostrum, &c.

Die XXVIII.

IN FESTO S. JULIANI,
Ep. & Conf.

Missa Statuit, de Communi Conf. Pont. & sit com. S. Agnetis secundò.

FESTA

FESTA FEBRUARII.

Die VI.

IN FESTO S. GILDASII,
Abbatis.*Missæ* Os justi, de Communi Abbat.
cum com. S. Dorotheæ Virg. & Mart.

Die X.

IN FESTO S. SCHOLASTICÆ,
Virginis.*Missæ* Dilexisti, de Communi Virg.
Oratio.

DEUS, qui animam beatæ Virgini-
nis tuæ Scholasticæ ad ostenden-
dam innocentiae viam, in Columbæ
specie cœlum penetrare fecisti: da
nobis ejus meritis & precibus ita inno-
center vivere, ut ad æterna mereamur
gaudia pervenire. Per Dominum.

Die XVII.

IN FESTO S. GUEVROCI,
Abbatis.*Missæ* Os justi, de Communi Abb. Si
celebretur in Quadrag. fit com. Fer.

FESTA MARTII.

Die II.

IN FESTO S. JOEVINI,
Ep. & Conf.*Missæ* Statuit, de Communi Conf. Pont.
Oratio.

DEUS, qui es Sanctorum tuorum
splendor mirabilis, quique hunc

diem Beati Joëvini Confessoris tui at-
que Pontificis depositione consecra-
ti: concede nos, quæsumus, de ejus
natalitiis semper gaudere, ut apud
tuam misericordiam exemplis ejus pro-
tegamur & meritis. Per Dominum.

Si celebretur in Quadrag. fit com. Fer.

Die III.

IN FESTO S. GUINGALOEI,
Abbatis.*Missæ* Os justi, de Communi Abb. Si
celebretur in Quadrag. fit com. Fer.

Die VIII.

IN FESTO S. JOANNIS DE DEO,
Confessoris.*Introitus.*

OS Justi meditabitur sapientiam;
& lingua ejus loquetur judicium:
Lex Dei ejus in corde ipsius.

Psal. Noli æmulari in malignanti-
bus: neque zelaveris facientes iniqui-
tatem. ⁊. Gloria Patri. Os Justi, &c.

Oratio.

DEUS, qui beatum Joannem tuo
amore succensum, inter flammæ
innoxium incedere fecisti, & per eum
Ecclesiam tuam novâ prole fecundaf-
ti; præsta ipsius suffragantibus meritis,
ut igne charitatis tuæ vitia nostra cu-
rentur, & remedia nobis æterna pro-
veniant. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiae.

BEATUS vir, qui inventus est sine
maculâ, & qui post aurum non
abiit, nec speravit in pecuniâ, & the-
B

fauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vitâ suâ. Qui probatus est in illo, & perfectus est, erit illi gloria æterna: qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino, & eleëmofynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.

Graduale. Justus ut palma florebit: sicut cedrus Libani multiplicabitur in domo Domini. ⁊. Ad annuntiandum manè misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem.

Tractus. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis. ⁊. Potens in terrâ erit semen ejus; & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum.

IN illo tempore, accesserunt ad Jesum Pharisei; & interrogavit eum unus ex eis legis Doctor tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi Jesus, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in totâ animâ tuâ, & in totâ mente tuâ; hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ. Congregatis autem Phariseis, interrogavit eos Jesus, dicens: Quid vobis videtur de Christo? cujus filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum

Dominum, quomodo filius ejus est? Et nemo poterat ei respondere verbum: neque ausus fuit quisquam ex illâ die eum amplius interrogare.

Offertorium. Veritas mea & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

LAudis tibi, Domine, hostias immolamus, in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos & presentibus exui malis confidimus, & futuris. Per Dominum nostrum.

Communio. Beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

REfecti cibo potuque cælesti, Deus noster, te supplices exoramus, ut in cujus hæc commemoratione percipimus, ejus muniamur & precibus. Per Dominum.

Die XII.

IN FESTO S. PAULI,
Leonensis Ep. & Conf.

Introitus.

STATUIT ei Dominus testamentum pacis, & principem fecit eum: ut sit illi Sacerdotii dignitas in æternum.

Psalms. Memento, Domine, David: & omnis mansuetudinis ejus. ⁊. Gloria Patri, &c. Statuit, &c.

Oratio.

DEUS, qui hunc præclarum diem Sancti Pauli Confessoris tui atque Pontificis natalitiis consecrafti: da quæ-

sumus, ut ejus intercedentibus meritis, à peccatorum nostrorum nexibus, te miserante, mereamur absolvi. Per Dominum nostrum. *Comm. Ferie occurr.*

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

FRatres, Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Jesus Christus heri & hodiè: ipse & in sæcula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratiâ stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulanti in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium inferitur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra improprium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Obédite præpositis vestris & subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

Graduale. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. *Ps.* Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi.

Tractus. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

Ps. Potens in terrâ erit semen ejus; generatio rectorum benedicetur. *Ps.* Gloria & divitiæ in domo ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum.

IN illo tempore, dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Homo peregrè proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua. Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii verò unum, unicuique secundum propriam virtutem, & profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum verò temporis venit Dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi Dominus ejus: Euge, serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi Dominus ejus: Euge, serve bone & fidelis: quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui. Credo, &c.

Offertorium. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.

Secreta.

Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique lætificent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus. Per Dominum, &c.

Communio. Fidelis servus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: ut det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut de perceptis muneribus gratias exhibentes, intercedente beato Paulo Confessore tuo atque Pontifice, beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum, &c.

Die XXIV.

IN FESTO SANCTI GABRIELIS,
Archangeli.

Introitus.

Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus: potentes virtute, qui facitis verbum ejus, ad audiendam vocem sermonum ejus.

Psalmus. Benedic, anima mea, Domino; & omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. ⁊. Gloria Patri. Benedicite, &c.

Oratio.

DEUS, qui inter cæteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuæ mysterium Gabriëlem Archangelum elegisti; concede propitius, ut qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cœlis. Qui vivis & regnas cum Deo Patre.

Fit commemoratio Feriæ currentis, si celebretur in Quadragesimâ.

Lectio Daniëlis Prophetæ.

IN diebus illis: Ecce vir Gabriël, quem videram in visione à principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum ut docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum est egressus sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergò animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur Justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergò, & animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursùm ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio.

Graduale. Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus, potentes virtute, qui facitis verbum ejus. ⁊. Benedic, anima mea, Dominum, & omnia interiora mea nomen sanctum ejus.

Tractus. Ave, Maria, gratia plena: Dominus tecum. ⁊. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. ⁊. Ecce concipies & paries Filium; & vocabis nomen ejus Emmanuel.

nuel. ⁊. Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. ⁊. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.

Si hoc Festum post Pascha celebretur, dicantur hæc duo Alleluia, post Epistolam, omissa Graduali. Alleluia, alleluia. ⁊. Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos flammam ignis, Alleluia. ⁊. Ave, Maria, gratia plena; Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore: missus est Angelus Gabriël à Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena; Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus; & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elizabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in

senectute suâ; & hic mensis sextus est illi, quæ vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Credo, &c.

Offertorium. Stetit Angelus juxta aram templi, habens Thuribulum aureum in manu suâ; & data sunt ei incensa multa, & ascendit fumus aromaticum in conspectu Dei.

Secreta.

ACceptum fiat in conspectu tuo; Domine, nostræ servitutis munus, & beati Archangeli Gabriëlis oratio; ut venerantibus eum in terris, sit apud te advocatus in cœlis. Per Dominum.

Communio. Benedicite, omnes Angeli Domini, Dominum, hymnum dicite, & superexaltate eum in sæcula.

Postcommunio.

Corporis tui, & Sanguinis sumptis Mysteriis; tuam, Domine Deus noster, deprecamur clementiam; ut sicut, Gabriële nunciante, Incarnationem tuam cognovimus: ita ipso adjuvante, incarnationis ejusdem beneficia consequamur. Qui vivis & regnas.

Feria sexta post Dominicam Passionis.

IN FESTO SEPTEM DOLORUM
Beatæ Mariæ Virginis.

Introitus.

Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, & soror Matris ejus Maria Cleophæ, & Salome, & Maria Magdalene. ⁊. Mulier, ecce Filius tuus,

dixit Iesus; ad Discipulum autem: ecce Mater tua. ⁊. Glora Patri. Stabant, &c.

Dicitur Gloria in excelsis.

Oratio.

DEUS, in cuius Passione, secundum Simeonis Prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis & Matris Mariæ doloris gladius pertransiit; concede propitius, ut qui transfixionem ejus & passionem venerando recolimus, & gloriosis meritis & precibus omnium Sanctorum cruci fideliter astantium intercedentibus, Passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis & regnas.

Et fit commemoratio Feriæ.

Lectio Libri Judith.

Benedixit te Dominus in virtute suâ, qui per te ad nihilum redegit inimicos. Benedicta es tu à Domino Deo excelso præ omnibus mulieribus super terram. Benedictus Dominus, qui creavit cælum & terram, quia hodie nomen tuum ita magnificavit, ut non recedat laus tua de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in æternum, pro quibus non pepercisti animæ tuæ propter angustias & tribulationes generis tui, sed subvenisti ruinæ ante conspectum Dei nostri.

Graduale. Dolorosa & lacrymabilis es, Virgo Maria, stans juxta Crucem Domini Jesu Filii tui Redemptoris.

Tractus. Stabat Sancta Maria, cœli Regina, & mundi Domina, juxta Crucem Domini nostri Jesu Christi dolorosa. ⁊. O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte si est dolor sicut dolor meus.

Sequentia.

Stabat Mater dolorosa,
Juxta Crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.

Cujus animam gementem,
Contristatam & dolentem,
Pertransibat gladius.

O quàm tristis & afflicta
Fuit illa Benedicta,
Mater unigeniti!

Quæ moerebat & dolebat,
Pia Mater cum videbat
Pœnas nati inclyti.

Quis est homo qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio?

Quis posset non contristari,
Matrem Christi contemplari
Dolentem cum Filio?

Pro peccatis suæ gentis,
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.

Vidit suum dulcem natum,
Moriendo desolatum,
Dum emisit spiritum.

Eia Mater fons amoris,
Me sentire vim doloris,
Fac ut tecum lugeam.

Fac ut ardeat cor meum,
In amando Christum Deum,
Ut sibi complaceam.

Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo valide.

Tui nati vulnerati,
Jam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.

Fac me tecum piè flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.

Juxta Crucem tecum stare,
Et me tibi sociare,

In planctu desidero.

Virgo Virginum præclara,
Mihi jam non sis amara;
Fac me tecum plangere.

Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolare.

Fac me plagis vulnerari,
Fac me Cruce inebriari,
Et cruore Filii.

Flammis ne urar succensus,
Per te Virgo, sim defensus
In die judicii.

Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.

Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

Sequentia Sancti Evangelii secundum
Joannem.

IN illo tempore: Stabant juxta Crucem Jesu Mater ejus, & soror Matris ejus Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus Matrem & Discipulum stantem quem diligebat, dicit Matri suæ: Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit Discipulo: Ecce Mater tua. Et ex illâ horâ accepit eam Discipulus in suâ.

Credo, &c.

Offertorium. Recordare, Virgo Mater Dei, dum steteris in conspectu Dei; ut loquaris pro nobis bona, & ut avertas indignationem suam à nobis.

Secreta.

Offerimus tibi preces & hostias, Domine Jesu Christe, humiliter supplicantes: ut qui transfixionem dul-

cissimi spiritus Beatæ Mariæ Matris tuæ precibus recensemus: suo, suorumque sub Cruce Sanctorum consortium multiplicato piissimo interventu, meritis mortis tuæ, meritum cum beatis habeamus. Qui vivis & regnas.

Præfatio de Beatâ Mariâ, Et te in transfixione.

Communio. Felices sensus Beatæ Mariæ Virginis, qui sine morte meruerunt martyrii palmam sub Cruce Domini.

Postcommunio.

Sacrificia, quæ sumpsimus, Domine Jesu Christe, transfixionem Matris tuæ, & Virginis devotè celebrantes, nobis impetrent apud clementiam tuam omnis boni salutaris effectum. Qui vivis & regnas in unitate Spiritus sancti Deus.

FESTA APRILIS.

Die III.

IN FESTO SANCTÆ Mariæ ÆGYPTIACÆ.

Missâ integrâ Cognovi, de Communi non Virg. præter Orationem.

Oratio.

Largire nobis, clementissime Pater, ut sicut beata Maria Ægyptiaca, Dominum nostrum Jesum Christum super omnia diligendo, suorum obtinuit veniam peccatorum: ita nobis apud misericordiam tuam, sempiternam impetret beatitudinem. Per eundem Dominum nostrum.

Si celebretur in Quadrag. fit com. Fer.

*Die IV.*IN FESTO SANCTI ISIDORI,
Ep. & Doctoris.*Missa* In medio, *de Communi Doct.*
*Dicitur Credo.**Die XVI.*IN FESTO SANCTI PATERNI,
Ep. & Conf.*Missa* Statuit, *de Communi Conf. Pont.*

FESTA MAII.

*Die I.*IN FESTO SANCTI BRIOCI,
Ep. & Conf.*Missa* Statuit, *de Communi Conf. Pont.**Die V.*IN FESTO SANCTI PII QUINTI,
Papæ & Conf.*Missa* Statuit, *de Communi Conf. Pont.**Oratio.*

DEUS, qui ad conterendos Ecclesiæ tuæ hostes, & ad divinum cultum reparandum Pium quintum Pontificem Maximum eligere dignatus es; fac nos ipsius defendi præfidiis, & ita tuis inherere obsequiis, ut omnium hostium superatis insidiis perpetuâ pace lætemur. Per Dominum nostrum.

*Die XI.*TRANSLATIO S. NICOLAI,
Ep. & Conf.*Missa* Statuit, *de Communi Conf. Pont.**Oratio.*

DEUS, qui pro tuorum salute fidelium, Beatissimi Nicolai corpus Barium de Mira transferri voluisti; tribue nobis, quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, in præsentem mereamur à te adjuvari, & in futuro cum ipso lætari. Per Dominum nostrum.

*Die XIII.*TRANSLATIO S. MATHURINI,
Confessoris.*Introitus.*

JUSTUS ut palma florebit, sicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo Domini, in atriis domus Dei nostri.

Psalmus. Bonum est confiteri Domino: & psallere nomini tuo, Altissime. ⁊. Gloria Patri, &c. Justus, &c.

Oratio.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, quas in Beati Mathurini Confessoris tui solemnitate deferimus: ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Philippenes.

FRATRES. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta. Veruntamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei: propter quem omnia detrimentum feci & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam: & inveniar in illo non habens meam justitiam, quæ ex lege est, sed illam, quæ ex fide est Christi

Christi Jesu : quæ ex Deo est justitia in fide , ad cognoscendum illum , & virtutem resurrectionis ejus , & societatem passionum illius : configuratus morti ejus : si quomodo occurram ad resurrectionem , quæ est ex mortuis : non quòd jam acceperim , aut jam perfectus sum : sequor autem , si quomodo comprehendam in quo & comprehensus sum à Christo Jesu.

Graduale. Os justii meditabitur sapientiam , & lingua ejus loquetur judicium. *✠.* Lex Dei ejus in corde ipsius : & non supplantabuntur gressus ejus. Alleluia , alleluia. *✠.* Beatus vir , qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. Alleluia.

Tempore Paschali omittitur Graduale , & ejus loco dicitur Alleluia , alleluia. ✠. Beatus vir , qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. Alleluia. ✠. Justus germinabit sicut lilium , & florebit in æternum ante Dominum. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore : dixit Jesus Discipulis suis : Nolite timere pusillus grex , quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis , & date eleëmofynam. Facite vobis sacculos , qui non veterascunt , thesaurum non deficientem in cœlis : quò fur non appropriat , neque tinea corrumpit. Ubi enim thesaurus vester est , ibi & cor vestrum erit.

Offertorium. In virtute tuâ , Domine , lætabitur justus , & super salutare tuum exultabit vehementer : desiderium animæ ejus tribuisti ei.

Secreta.

PRæsta nobis , quæsumus , omnipotens Deus : ut nostræ humilitatis oblatio , & pro tuorum tibi grata sit honore Sanctorum , & nos corpore pariter & mente purificet. Per Dominum nostrum.

Communio. Amen dico vobis , quòd vos qui reliquistis omnia , & secuti estis me : centuplum accipietis , & vitam æternam possidebitis.

Postcommunio.

QUæsumus , omnipotens Deus , ut qui cælestia alimenta percipimus , intercedente Beato Mathurino Confessore tuo , per hæc contra omnia adversa muniamur. Per Dominum nostrum.

Die XXI.

IN FESTO SANCTI YVONIS ,
Confessoris.

Missæ Justus ut palma , de Communi Conf. non Pont. præter Orationem.

Oratio.

DEUS , qui Beatum Yvonem Confessorem tuum , piis operibus , signis & virtutibus , in Ecclesiâ tuâ clarere fecisti : præsta , quæsumus , ut ejus meritis & precibus tua beneficia capiamus. Per Dominum nostrum.

Die XXVIII.

IN FESTO SANCTI GERMANI ,
Parisiensis Ep. & Conf.

Missæ Sacerdotes tui , de Communi Conf. Pont.

FESTA JUNII.

Die I.

IN FESTO SANCTI RONANI,
Ep. & Conf.*Missæ Sacerdotes tui, de Communi
Conf. Pont.*

Die XII.

IN FESTO SANCTI JOANNIS
à S. Facundo, Conf.*Missæ Os justi, de Communi Conf.
non Pont. præter Orationem.*

Oratio.

DEUS, auctor pacis & amator
charitatis, qui Beatum Joannem
Confessorem tuum mirificâ diffidentes
componendi gratiâ decorasti; ejus me-
ritis & intercessione concede, ut in
tuâ charitate firmati, nullis à te ten-
tationibus separemur. Per Dominum.

Die XVII.

IN FESTO SANCTI HERVÆI,
Eremitæ & Confessoris.

Introitus.

OS Justi meditabitur sapientiam,
& lingua ejus loquetur judicium:
Lex Dei ejus in corde ipsius.

Psalms. Noli æmulari in malignanti-
bus: neque zelaveris facientes iniqui-
tatem. *Ps.* Gloria Patri. Os Justi, &c.

Oratio.

DEUS, qui Beatum Hervæum
Confessorem tuum, in terris vir-

tutum & meritorum gloriâ sublimasti:
præsta, quæsumus, ut qui ejus nata-
litia colimus, ipsius meritis & precibus
adjuti, æternæ vitæ bravium appre-
hendere mereamur. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiæ.

BEatus vir, qui inventus est sine
maculâ, & qui post aurum non
abiit, nec speravit in pecuniâ, & the-
sauris. Quis est hic, & laudabimus
eum? Fecit enim mirabilia in vitâ suâ.
Qui probatus est in illo, & perfectus
est, erit illi gloria æterna, qui potuit
transgredi, & non est transgressus, fa-
cere mala, & non fecit: ideo stabilita
sunt bona illius in Domino, & eleē-
mosynas illius enarrabit omnis Ecclesia
Sanctorum.

Graduale. Justus ut palma florebit;
sicut cedrus Libani multiplicabitur in
domo Domini.

Ps. Ad annuntiandum manè miseri-
cordiam tuam, & veritatem tuam per
noctem. Alleluia, alleluia.

Ps. Beatus vir, qui suffert tentatio-
nem: quoniam cum probatus fuerit,
accipiet coronam vitæ. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum
Matthæum.

IN illo tempore: accesserunt Disci-
puli ad Jesum, dicentes: Quis, pu-
tas, major est in regno cœlorum? Et
advocans Jesus parvulum, statuit eum
in medio eorum, & dixit: Amen dico
vobis, nisi conversi fueritis, & efficia-
mini sicut parvuli, non intrabitis in
regnum cœlorum. Quicumque ergo
humiliaverit se sicut parvulus iste, hic
est major in regnum cœlorum. Et qui
susceperit unum parvulum talem in

nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis. Necessè est enim, ut veniant scandala: verumtamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscide eum, & projice abs te: Bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum, quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te: Bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis: Dico enim vobis; quia Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.

Offertorium. Veritas mea, & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

L Audis tibi, Domine, hostias immolamus, in tuorum commemoratione Sanctorum: quibus nos & præsentibus exui malis confidimus, & futuris. Per Dominum nostrum.

Communio. Beatus servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit vigilantem: amen dico vobis, super omnia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

R Efecti cibo potuque cœlesti, Deus noster, te supplices exoramus: ut in cujus hæc commemoratione percepimus, ejus muniamur & precibus. Per Dominum nostrum.

Die XIX.

IN FESTO SANCTÆ JULIANÆ
de Falconeriis, Virg.

Missæ Dilexisti, de Communi Virg.

Oratio.

D EUS, qui Beatam Julianam Virginem tuam extremo morbo laborantem pretioso Filii tui corpore mirabiliter recreare dignatus es; concede, quæsumus, ut, ejus intercedentibus meritis, nos quoque eodem in mortis agone resecti, ac roborati ad cælestem patriam perducamur. Per eundem Dominum nostrum.

Die XXV.

TRANSLATIO SANCTI ELIGII,
Ep. & Conf.

Missæ Statuit, de Communi Conf. Pont.

Feria sexta post Octavam Corporis Christi.

IN SOLEMNITATE SACRATISSIMI
CORDIS JESU.

Introitus.

G Audeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes, sub honore Sacratissimi Cordis JESU, de cujus Solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

Psalmus. Quam dilecta Tabernacula tua; Domine virtutum: Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. ⁊. Gloria Patri, &c. Gaudeamus, &c.

Oratio.

DEUS, qui Sacratissimum Cor Jesu Christi Filii tui Domini nostri, fidelibus tuis summo charitatis affectu amabile reddidisti: concede propitius, sic nos illud venerari & amare in terris, ut per ipsum & cum ipso, & te & ipsum amare, & à te & ab illo æternum amari mereamur in cœlis. Per eundem, &c.

LECTIO Isaïæ Prophetæ.

HÆc est hæreditas servorum Domini, & justitia eorum apud me, dicit Dominus. Omnes sitientes, venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite, & comedite: Venite, emite absque argento, & absque ullâ commutatione vinum & lac. Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, & venite ad me: Audite; & vivet anima vestra, & feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gentem, quam nesciebas, vocabis: & gentes, quæ te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum & Sanctum Israël, quia glorificavit te.

Graduale. Ego sum ostium, dicit Dominus; per me si quis introierit, salvabitur & pascua inveniet. ⁊. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Alleluia, allel. ⁊. Hoc sentite in cordibus vestris quod & in Corde Jesu, & omnia vestra in humilitate & charitate fiant.

Sequentia.

GAudeamus exultantes,
Cordis JESU personantes,
Divina præconia.

Hæc est dies veneranda,
In quâ Patris adoranda
Laudamus præcordia.

Cor amandum Salvatoris,
Mellis fontem & amoris
Corda cuncta diligant.

Cor beatum summi Regis,
Cor & vitam novæ Legis
Omnes linguæ concinant.

Sit laus plena, sit immensa,
Sit perennis, sit accensa
Ardoribus pectoris.

Laudet, canat, orbis totus
Colat, amet tota virtus
Et cordis & corporis.

Ora, manus, sensus, vigor,
Fides viva, purus amor
Cor divinum consonent.

Flammis sacris inflammata
Corda, voces, atque facta
Cor amoris prædicent.

Cor mirandum Redemptoris,
Coadunans terram cœlis,
Unitatis speculum.

Digna sedes Trinitatis,
Plenitudo Deitatis,
Amoris miraculum.

Amoris Evangelium,
Puri cordis incendium,
Magna Dei gloria.

Coeli nectar vivificans,
Cordis manna deificans,
Amor & lætitia.

Cleri sacri præsidium,
Rector benigne cordium,
Nostra rege pectora.

Fons æternæ pietatis,
Ardens fornax charitatis

Corda flammis devora.

Domus amoris aurea,
Turris amantum flammæ,
Cætus nostri lex ignea,
Fons perennis gratiæ.

Cor thesaurus sanctitatis,
Abyssus humilitatis,
Thronus Dei voluntatis,
Et centrum clementiæ.

Paradisus beatorum,
Consolator afflictorum,
Pax & salus peccatorum,
Cor omnibus omnia.

O Jesu! raptor cordium,
Amore flagrans mentium,
Cor tuum trahat omnium
Mentes & præcordia.

O Cor! summa benignitas,
Immensa liberalitas,
Incomprehensa charitas,
Cordis vera felicitas,
Cor esto simplicibus.

Fac nos, Jesu, flamescentem
Cordis tui charitatem,
Et divinam pietatem,
Summam quoque sanctitatem,
Sanctis sequi moribus.

O beata Trinitas!
Cordis Jesu charitas,
Immensæ clementiæ
Immensæ sint gratiæ,
Æterna sit gloria.
Amen dicant omnia.
Amen. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum
Matthæum.

IN illo tempore, respondens Jesus
dixit: Confiteor tibi, Pater, Do-
mine cœli & terræ; quia abscondisti
hæc à sapientibus, & prudentibus, &
revelasti ea parvulis. Ita, Pater; quo-

niam sic fuit placitum ante te. Omnia
mihi tradita sunt à Patre meo; & nemo
novit Filium, nisi Pater; neque Patrem
quis novit, nisi Filius, & cui voluerit
Filius revelare. Venite ad me, omnes
qui laboratis, & onerati estis, & ego
reficiam vos. Tollite jugum meum su-
per vos, & discite à me, quia mitis
sum & humilis corde; & invenietis re-
quiem animabus vestris. Jugum enim
meum suave est, & onus meum leve.

Credo, &c.

Offertorium. Unam petii à Domino,
hanc requiram, ut inhabitem in Corde
Domini omnibus diebus vitæ meæ; ut
videam voluptatem Domini & visitem
templum ejus.

Secreta.

Suscipe, Domine, holocaustum
perpetuum Cordis Jesu Christi Fi-
lii tui Domini nostri, & sit propitiatio
pro peccatis nostris, ut gratiam tuam
consecuti, in eo uno vivamus qui pro
nobis mori dignatus est: qui tecum vi-
vit & regnat, &c.

Præfatio de Nativitate.

Communio. Quid mihi est in cœlo,
& à te quid volui super terram? Dese-
cit caro mea & cor meum, Deus cor-
dis mei & pars mea, Deus in æternum.

Postcommunio.

Concede nobis, misericors Deus,
ut pasti deliciis Sacramenti Cor-
dis amantissimi Filii tui Domini nostri
Jesu Christi, iis ita inebriemur, ut
mortui sæculo, tibi soli vivamus cum
unigenito Filio tuo, qui tecum vivit
& regnat in unitate Spiritus Sancti
Deus, per omnia, &c.

E

MISSA VOTIVA

SACRATISSIMI CORDIS JESU.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino ,
venerationem celebrantes in ho-
norem Cordis amantissimi Redempto-
ris nostri Jesu Christi , cujus amorem
adorant Seraphim , psallentes in unum :
Ecce cujus imperium manet in æter-
num.

Psalms. Confitebor tibi , Domine ,
in toto corde meo : in consilio justo-
rum & congregatione. *ψ.* Gloria Pa-
tri , &c. Gaudeamus , &c.

Oratio & reliqua ut in die Solemnitatis.

Post Septuagesimam omisso Alleluia.
Dicitur Tractus. Improperium expec-
tavit cor meum & miseriam. Multipli-
cati sunt super capillos capitis mei qui
oderunt me gratis.

ψ. Dum penderem in cruce unus
militum lanceâ latus & cor meum ape-
ruit , & exivit sanguis & aqua.

ψ. Surge propera , amica mea , spe-
ciosa mea , columba mea , & veni.

ψ. Ecce caverna maceriæ aperta est
tibi ; ingredere , quiesce , lauda , &
ama dilectum tuum , qui dilexit & la-
vit te à peccatis tuis in Sanguine suo.

Tempore Paschali omisso Grad. &
Versu seq. dicitur Alleluia , alleluia.

ψ. Pax vobis ; nolite timere , Ego sum :
sicut dilexit me Pater & ego dilexi vos.
Manete in dilectione meâ. Alleluia.

ψ. Diligam te , Domine , fortitudo
mea , & firmamentum meum , & re-
fugium meum , & liberator meus.
Alleluia.

FESTA JULII.

Dominica I. post Octavam Ss. Apost.
Petri & Pauli.

DEDICATIO ECCLESIAE
CATHEDRALIS.

Missæ Terribilis , de Communi Dedic.

Die VII.

IN FESTO SANCTI GOLVINI,
Ep. & Conf.

Missæ Sacerdotes tui , de Communi
Conf. Pont. præter Orationem propr.

Oratio.

SANCTI Golvini Pontificis tui , quæ-
sumus , Domine , precibus & meri-
tis , donorum cælestium nos benignus
participes efficias , cujus nos confidimus
patrocinio liberari. Per Dominum.

Die XVI.

IN FESTO SOLEMNITATIS
B. V. Mariæ de Monte Carmelo.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino ,
diem festum celebrantes , sub ho-
nore Beatæ Mariæ Virginis , de cujus
solemnitate gaudent Angeli , & col-
laudant Filium Dei.

Psal. Eructavit cor meum verbum
bonum : dico ego opera mea regi. *ψ.*
Gloria Patri , &c. Gaudeamus , &c.

Oratio.

DEUS , qui Beatissimæ semper Vir-
ginis , & Genitricis tuæ Mariæ
singulari titulo Carmeli Ordinem de-
corasti : concede propitius , ut cujus

hodiè Commemorationem solemnè celebramus officio, ejus muniti præsidii, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis & regnas.

Lectio Libri Sapientiæ.

EGO quasi vitis fructificavi suavitatem odoris : & flores mei fructus honoris, & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis viæ & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum. Memoria mea in generationes sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient; & qui bibunt me, adhuc sitient. Qui audit me, non confundetur : & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidant me, vitam æternam habebunt.

Graduale. Benedicta & venerabilis es, Virgo Maria, quæ sine tactu pudoris inventa es Mater Salvatoris.

✠. Virgo Dei Genitrix, quem totus non capit orbis, in tua se clausit viscera factus homo. Alleluia, alleluia.

✠. Per te, Dei Genitrix, nobis est vita perdita data : quæ de cœlo suscepisti prolem : & mundo genuisti Salvatorem. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore : Loquente Jesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi : Beatus venter, qui te portavit ; & ubera, quæ fuxisti. At ille dixit : Quinimmò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Credo, &c.

Offertorium. Recordare, Virgo Mater, in conspectu Dei, ut loquaris pro nobis bona, & avertas indignationem suam à nobis.

Secreta.

SANCTIFICA, Domine, quæsumus, Oblata libamina : & beatæ Dei Genitricis Mariæ saluberrimâ intercessionem, nobis salutaria fore concede. Per eundem Dominum nostrum.

Præfatio. Et te in Commemoratione Beatæ Mariæ.

Communio. Regina mundi dignissima Maria; Virgo perpetua, intercede pro nostra pace & salute; quæ genuisti Christum Dominum Salvatorem omnium.

Postcommunio.

ADjuvet nos, quæsumus, Domine, Agloriosæ tuæ Genitricis, semperque Virginis Mariæ intercessio veneranda; ut quos perpetuis cumulavit beneficiis, à cunctis periculis absolutos, suâ faciat pietate concordēs. Qui vivis & regnas.

Die XVIII.

IN FESTO SANCTI TURIAVI,
Ep. & Conf.

Missæ Sacerdotes tui, de Communi Conf. Pont. & sit com. Ss. Symphorosæ & Filiorum, Mart.

Die XIX.

IN FESTO SANCTI TENENANI,
Ep. & Conf.

Missæ Sacerdotes tui, de Communi Conf. Pont. præter Orationem.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine, famulis tuis, inviolabilem fidei firmitatem: ut Beati Tenenani Confessoris tui atque Pontificis transitum celebrantes, meritis ipsius intervenientibus, regni cælestis gaudia consequamur. Per Dominum nostrum.

Die xx.

IN FESTO S. MARGARITÆ,
Virg. & Mart.

Missa Me expectaverunt, de *Com-*
muni unius Virg. & Mart.

Die xxi.

IN FESTO SANCTI VINCENTII
à Paulo, Conf.

Introitus.

PAuperes Sion saturabo panibus: Sacerdotes ejus induam salutare, & Sancti ejus exultatione exultabunt.

Psal. Memento, Domine, David: & omnis mansuetudinis ejus. *✠.* Gloria Patri, &c. Pauperes, &c.

Oratio.

DEUS, qui ad salutem pauperum, & Cleri disciplinam, novam in Ecclesiâ tuâ per Beatum Vincentium familiam congregasti; da, quæsumus, ut eodem nos quoque spiritu ferventes, & amemus quod amavit, & quod docuit operemur. Per Dominum...in unitate ejusdem.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli
ad Corinthios.

Videte vocationem vestram, Fratres, quia non multi sapientes

secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt destrueret: ut non gloriatur omnis caro in conspectu ejus. Ex ipso autem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & justitia, & sanctificatio, & redemptio: ut quemadmodum scriptum est, Qui gloriatur, in Domino gloriatur. Et ego cum venissem ad vos, Fratres, veni, non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis testimonium Christi. Non enim judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum, & hunc crucifixum.

Graduale. Evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde. *✠.* Paraasti in dulcedine tuâ pauperi, Deus: Dominus dabit verbum Evangelizantibus virtute multâ. Alleluia, alleluia.

✠. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis & prædicantis pacem; annuntiantis bonum, prædicantis salutem. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum
Matthæum.

IN illo tempore: Circuibat Jesus omnes civitates & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem. Videns autem turbas, misertus est eis, quia erant vexati, & jacentes sicut oves non habentes pastorem. Tunc dicit Discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci. Rogate ergo

ergò Dominum messis , ut mittat operarios in messem suam.

Offertorium. Inclinet Dominus Deus noster corda nostra ad se , ut ambulemus in universis viis ejus , & custodiamus mandata ejus , & cæremonias ejus , & judicia quæcumque mandavit patribus nostris.

Secreta.

DEUS , qui Beato Vincentio divina quotidie celebranti mysteria tribuisti quod tractabat imitari ; ejus nobis precibus indulge , ut immaculatam Hostiam offerentes , ipsi quoque in holocaustum tibi acceptum transeamus. Per Dominum nostrum.

Communio. Confiteantur Domino misericordiae ejus , & mirabilia ejus filiis hominum , quia satiavit animam inanem , & animam esurientem satiavit bonis.

Postcommunio.

CÆlestibus , Domine , refecti Sacramentis , quæsumus , ut ad evangelizantem pauperibus Filium tuum imitandum , Beati Vincentii , sicut exemplis provocamur , ita & patrociniis adjuvemur. Per eundem , &c.

Die XXV.

IN FESTO S. CHRISTOPHORI,
Martyris.

Introitus.

IN virtute tuâ , Domine , lætabitur justus : & super salutare tuum exultabit vehementer : desiderium animæ ejus tribuisti ei.

Psal. Quoniam prævenisti eum in

benedictionibus dulcedinis , posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. ⁊. Gloria Patri , &c. In virtute , &c.

Oratio.

PRæsta , quæsumus , omnipotens Deus : ut qui Beati Christophori Martyris tui natalitia colimus , intercessione ejus in tui nominis amore robaremur. Per Dominum nostrum.

Deinde fit com. S. Pantaleonis , Mart.

Lectio Libri Sapientiae.

Justum deduxit Dominus per vias rectas , & ostendit illi regnum Dei , & dedit illi scientiam Sanctorum : honestavit illum in laboribus , & complevit labores illius. In fraude circumventium illum affuit illi : & honestum fecit illum. Custodivit illum ab inimicis , & à seductoribus tutavit illum , & certamen forte dedit illi ut vinceret , & sciret quoniam omnium potentior est sapientia. Hæc venditum justum non dereliquit , sed à peccatoribus liberavit eum. Descenditque cum illo in foveam , & in vinculis non dereliquit illum , donec afferret illi sceptrum regni , & potentiam adversus eos qui eum deprimebant : & mendaces ostendit , qui maculaverunt illum : & dedit illi claritatem æternam Dominus Deus noster.

Graduale. Beatus vir , qui timet Dominum : in mandatis ejus cupit nimis. ⁊. Potens in terrâ erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. Alleluia , allel. ⁊. Posuisti , Domine , super caput ejus coronam de lapide pretioso. Allel.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore , dixit Jesus turbis : Si quis venit ad me , & non odit patrem suum , & matrem , & uxorem ,

& filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus. Et qui non bajulat crucem suam, & venit post me, non potest meus esse discipulus. Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus, qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum; ne, posteaquàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare? Aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, non sedens prius cogitat, si possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus venit ad se? Alioquin adhuc illo longè agente, legationem mittens, rogat ea quæ pacis sunt. Sic ergò omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

Secreta.

Muneribus nostris, quæsumus, Domine, precibusque susceptis: & cælestibus nos munda mysteriis, & clementer exaudi. Per Dominum.

Communio. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.

Postcommunio.

DA, quæsumus, Domine Deus noster: ut, sicut tuorum commemoratione Sanctorum, temporali gratulamur officio: ita perpetuo lætemur aspectu. Per Dominum nostrum.

Die xxx.

IN FESTO SANCTI GUILLELMI,
Ep. & Conf.

Missæ Sacerdotes tui, de *Communi Conf. Pont. & fit commem. Ss. Abdon & Sennen, Mart.*

FESTA AUGUSTI.

Die ii.

IN FESTO SANCTI SAMSONIS,
Ep. & Conf.

Missæ Statuit, & fit commemor. S. Stephani, Pap. & Mart.

Die ix.

IN FESTO SANCTI GERMANI,
Ep. & Conf.

Missæ Statuit, cum commemor. Vigiliæ S. Laurentii, & S. Romani, Mart.

Die xi.

IN FESTO SACRO-SANCTÆ
CORONÆ DOMINI.

Introitus.

GAudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes, sub honore Coronæ Domini, de cujus solemnitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

Psal. Omnes gentes, plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. ✕. Gloria Patri. Gaudeamus, &c.

Oratio.

PRæsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut, qui in memoriam Passionis Domini nostri Jesu Christi Coronam ejus spineam veneramur in terris,

ab ipso gloriâ & honore coronari mereamur in cœlis. Qui tecum vivit, &c.

In Missis privatis fit commemor. Ss. Tiburtii & Suzannæ, Mart.

LECTIO Libri Sapientiæ. c. 3. 7.

LECTULUM Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël: omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscujusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani: Columnas ejus fecit argenteas, Reclinatorium aureum, ascensum purpureum media charitate constravit, propter Filias Jerusalem. Egredimini, & videte, Filie Sion, Regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis ejus. Quàm pulchra es, amica mea, quàm pulchra es! Oculi tui columbarum, absque hoc quod intrinsecus latet. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni: coronaberis.

Graduale. Corona aurea super caput ejus expressa signo sanctitatis, gloria honoris & opus fortitudinis. v. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Alleluia, alleluia. v. Corona spinea vitta surgit aurea mirifica, quæ mutata tropice fit Corona rosea. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Joannem.

IN illo tempore, apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit. Et milites plectentes Coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus, & veste purpureâ

circumdederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave, Rex Judæorum: & dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. Exivit ergo Jesus portans Coronam spineam, & purpureum vestimentum. Credo, &c.

Offertorium. Lauda, Jerusalem, Dominum; quia dabit tibi Coronam pro cinere, & eris Corona gloriæ in manu Dei, & diadema regni in manu Domini Dei tui.

Secreta.

TUorum militum corda, Rex omnipotens, virtute corrobora, ut, quos in hujus mortalitatis stadio unigeniti Filii tui Coronâ lætificas: consummato cursu certaminis, immortalitatis bravium apprehendant. Per eundem.

Præfatio Passionis.

Communio. Lætare, mater nostra; quia dabit Dominus capiti tuo augmenta gratiarum, & Corona inclyta proteget te.

Postcommunio.

SUPPLICES te rogamus, omnipotens Deus, ut hæc Sacramenta quæ sumpsimus, per Sacro-Sanctæ Filii tui Coronæ, cujus solemnia recensemus, virtutem, nobis proficiant ad salutem. Per Dominum nostrum.

Die XXIII.

IN FESTO SANCTI PHILIPPI,
Benitii, Conf.

Missæ Justus ut palma, de Communi
Conf. non Pont. præter Orationem,

Oratio.

DEUS, qui per Beatum Philippum Confessorem tuum, eximium nobis humilitatis exemplum tribuisti: da famulis tuis prospera mundi ex ejus imitatione despiciere, & cælestia semper inquirere. Per Dominum nostrum.

Die xxx.

IN FESTO SANCTÆ ROSÆ

Limanæ, Virginis.

Missa Dilexisti just. de Communi Virg.

Oratio.

Bonorum omnium largitor, omnipotens Deus, qui Beatam Rosam cælestis gratiæ rore præventam, virginis & patientiæ decore Indis florescere voluisti: da nobis famulis tuis, ut in odorem suavitatis ejus currentes, Christi bonus odor effici mereamur. Qui tecum vivit & regnat, &c.

FESTA SEPTEMBRIS.

Die I.

IN FESTO SANCTI ÆGIDII,

Abbatis.

Missa de Communi Abb. cum com. Ss. xij. Fratrum Mart.

Die III.

IN FESTO SANCTI FIACRII,

Confessoris.

Missa Os justi, de Com. Conf. non Pont. & fit com. Ss. Felicis & Adaueti, Mart.

Die v.

IN FESTO SANCTI LAURENTII

Justiniani, Ep. & Conf.

Missa Statuit, de Communi Conf. Pont.

Die xxiv.

IN FESTO SANCTÆ MARIE

de Mercede.

Missa Salve, sancta parens, ut in die 5. Augusti.

Oratio.

DEUS, qui per gloriosissimam Filii tui Matrem ad liberandos Christi Fideles à potestate Paganorum novâ Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es: præsta, quæsumus, ut quam piè veneramur tanti operis institutricem, ejus pariter meritis & intercessionem à peccatis omnibus & à captivitate dæmonis liberemur. Per eundem.

FESTA OCTOBRIS.

Dominica I.

IN FESTO SS. ROSARII

Beatæ Mariæ Virginis.

Missa Salve, sancta parens, ut in Festo S. Mariæ ad Nives 5. Augusti, & fit com. Dom. In Præf. dicitur Et te in solemnitate, & Evangel. Dom. in fine.

Oratio.

DEUS, cujus Unigenitus, per vitam, mortem & resurrectionem suam, nobis salutis æternæ præmia comparavit: concede, quæsumus, ut hæc

hæc mysteria sanctissimo Beatæ Mariæ Virginis Rosario recolentes, & imitemur quod continent, & quod promittunt assequamur. Per eundem, &c.

Dominica II.

IN F E S T O

TRANSLATIONIS S. PAULI,
Leonensis Ep. & Conf.

Introitus.

STatuit ei Dominus testamentum Spacis, & principem fecit eum: ut sit illi Sacerdotii dignitas in æternum.

Psal. Memento, Domine, David: & omnis mansuetudinis ejus. *ψ.* Gloria Patri, &c. Statuit, &c.

Oratio.

COncede nos, quæsumus, Domine, Beati Pauli Confessoris tui atque Pontificis attolli suffragiis: ut, qui Pontificalem sanctis meritis suscepit dignitatem, impetret apud te nobis supernam protectionem. Per Dominum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Hebræos.

FRatres, Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem. Jesus Christus heri & hodie: ipse & in sæcula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim gratiâ stabilire cor, non escis: quæ non profuerunt ambulanti in eis. Habemus altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deserviunt. Quorum enim animalium inferitur sanguis pro peccato in sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Jesus,

ut sanctificaret per suum Sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra improprium ejus portantes. Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini ejus. Beneficiæ autem, & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus. Obédite præpositis vestris & subjacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

Graduale. Ecce Sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo. *ψ.* Non est inventus similis illi, qui conservaret legem Excelsi. Alleluia, alleluia. *ψ.* Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore, dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reverti. Vocatis autem decem servis suis, dedit eis decem mnas, & ait ad illos: negotiamini dum venio. Cives autem ejus oderant eum; & miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est ut rediret accepto regno: & jussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset. Venit autem primus, dicens: Domine, mna tua decem mnas acquisivit. Et ait illi: Euge, bone serve & fidelis, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. Et alter venit, dicens: Domine, mna

tua fecit quinque mnas. Et huic ait : Et tu esto super quinque civitates. Et alter venit , dicens : Domine , ecce mna tua , quam habui repositam in fudario : timui enim te , quia homo austerus es : tollis quod non posuisti , & metis quod non seminasti. Dicit ei : De ore tuo te iudico , serve nequam. Sciebas quòd ego homo austerus sum , tollens quod non posui , & metens quod non seminavi : & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam , ut ego veniens cum usuris utique exegissem illam ? Et astantibus dixit : Auferte ab illo mnam , & date illi qui decem mnas habet. Et dixerunt ei : Domine , habet decem mnas. Dico autem vobis , quia omni habenti dabitur , & abundabit : ab eo autem qui non habet , & quod habet , auferetur ab eo. Credo , &c.

Offertorium. Inveni David servum meum , oleo sancto meo unxi eum : manus enim mea auxiliabitur ei , & brachium meum confortabit eum.

Secreta.

SAncti tui , quæsumus , Domine , nos ubique lætificent , ut dum eorum merita recolimus , patrocinia sentiamus. Per Dominum nostrum.

Communio. Fidelis servus & prudens , quem constituit Dominus super familiam suam : ut det illis in tempore tritici mensuram.

Postcommunio.

PRæsta , quæsumus , omnipotens Deus : ut de perceptis muneribus gratias exhibentes , intercedente Beato Paulo Confessore tuo atque Pontifice , beneficia potiora sumamus. Per Dominum nostrum , &c.

Die x.

IN FESTO SANCTI FRANCISCI
Borgiae , Conf.

Missæ Os iusti , de *Communi Conf. non Pont. cum Evangelio* Ecce nos , de *Communi Abb.*

Oratio.

Domine Jesu Christe , veræ humilitatis & exemplar , & præmium : quæsumus , ut sicut Beatum Franciscum in terreni honoris contemptu imitorem tui gloriosum effecisti ; ita nos ejusdem imitationis & gloriæ tribuas esse consortes : Qui vivis & regnas , &c.

Die xvii.

IN FESTO SANCTÆ HEDWIGIS,
Viduæ

Missæ Cognovi , de *Communi nec Virg. nec Mart.*

Oratio.

DEUS , qui Beatam Hedwigem à sæculi pompâ ad humilem tuæ Crucis sequelam toto corde transire docuisti : concede , ut ejus meritis & exemplo discamus perituri mundi calcare delicias , & amplexu tuæ Crucis omnia nobis adversantia superare : Qui vivis & regnas , &c.

Die xx.

IN FESTO SANCTI CLARI,
Ep. & Conf.

Missæ Statuit , de *Communi Conf. Pont.*

*Die XXI.*IN FESTO SS. URSULÆ
& Sociarum, Mart.*Introitus.*

ME expectaverunt peccatores, ut perderent me : testimonia tua, Domine, intellexi : omnis consummationis vidi finem : latum mandatum tuum nimis.

Psalm. Beati immaculati in viâ : qui ambulant in lege Domini. *ψ.* Gloria Patri, &c. Me expectaverunt, &c.

Oratio.

DA nobis, quæsumus, Domine Deus noster, Sanctarum Virginum & Martyrum tuarum Ursulæ & Sociarum ejus palmas incessabili devotione venerari : ut quas dignâ mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum nostrum.

Deindè fit com. S. Hilarionis, Abb.

LECTIO Epistolæ Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

FRATRES, De Virginibus præceptum Domini non habeo ; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum est homini sic esse. Alligatus es uxori ? noli quærere solutionem. Solutus es ab uxore ? noli quærere uxorem. Si autem acceperis uxorem, non peccasti. Et si nupserit virgo, non peccavit. Tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi. Ego autem vobis parco. Hoc itaque dico, fratres ; tempus

breve est. Reliquum est, ut & qui habent uxores, tanquam non habentes sint : & qui flent, tanquam non flentes : & qui gaudent, tanquam non gaudentes : & qui emunt, tanquam non possidentes : & qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur : præterit enim figura hujus mundi. Volo autem vos sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori : & divisus est. Et mulier innupta & virgo cogitat quæ Domini sunt : ut sit sancta corpore & spiritu, in Christo Jesu Domino nostro.

Graduale. Adjuvabit eam Deus vultu suo : Deus in medio ejus non commovebitur. *ψ.* Fluminis impetus lætificat civitatem Dei : sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. Alleluia, alleluia. *ψ.* Hæc est virgo sapiens, & una de numero prudentum. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Matthæum.

IN illo tempore : Dixit Jesus Discipulis suis parabolam hanc. Simile erit regnum cœlorum decem virginibus : quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes : sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus non sumpserunt oleum secum : prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, & dormierunt. Media autem nocte clamor factus est : ecce sponsus venit, exite obviam ei. Tunc surrexerunt omnes

virgines illæ, & ornaverunt lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro; quia lampades nostræ extinguuntur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non sufficiat nobis & vobis; ite potiùs ad vendentes, & emite vobis. Dùm autem irent emere, venit sponsus; & quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua. Novissimè verò veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam.

Offertorium. Diffusa est gratia in labiis tuis, proptereà benedixit te Deus in æternum, & in sæculum sæculi.

Secreta.

INtende, quæsumus, Domine, munerata altaribus tuis pro Sanctarum Virginum & Martyrum tuarum Ursulæ & Sociarum ejus festivitate proposita; ut sicut per hæc beata mysteria illis gloriam contulisti, ita nobis indulgentiam largiaris. Per Dominum.

Communio. Feci judicium & justitiam, Domine, non calumnientur mihi superbi; ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquitatis odio habui.

Postcommunio.

PRæsta nobis, quæsumus, Domine, intercedentibus Sanctis Virginibus & Martyribus tuis Ursulæ & Sociis ejus; ut quod ore contingimus, pura mente capiamus. Per Dominum nostrum, &c.

Die xxv.

IN FESTO S. GOEZNOVÆI,
Ep. & Conf.

Missa Statuit, de Communi Conf. Pont.
Oratio.

DEUS, qui Beatum Goëznovæum Confessorem tuum atque Pontificem hodiernâ die suscepisti; concede propitius, ut qui ejus gaudemus meritis, provocemur exemplis; atque ipsius intercessione veniam & vitam mereamur æternam. Per Dominum.

Die xxix.

IN FESTO TRANSLATIONIS
S. YVONIS, Conf.

Missa Justus ut palma, de Comm. Conf.
Oratio.

DEUS, qui Beatum Yvonem Confessorem tuum, piis operibus, signis & virtutibus, in Ecclesiâ tuâ clarere fecisti: præsta, quæsumus, ut ejus meritis & precibus tua beneficia capiamus. Per Dominum nostrum.

FESTA NOVEMBRIS.

Die x.

IN FESTO SANCTI MELANII,
Ep. & Conf.

Missa Sacerdotes tui, de Com. Conf. Pont. & fit com. Ss. Tryph. & Soc. Mart.

Die xiv.

IN FESTO SANCTI ILDUTI,
Abbatis.

Missa de Communi Abbatum.

Die

*Die XV.*IN FESTO SANCTI MACLOVII,
Ep. & Conf.*Missa Statuit, de Communi Conf. Pont.**Die XVI.*IN FESTO SANCTI RENATI,
Ep. & Conf.*Introitus.*

Sacerdotes tui, Domine, induant
justitiam; & Sancti tui exultent:
propter David servum tuum, non
avertas faciem Christi tui.

Psalms. Memento, Domine, Da-
vid: & omnis mansuetudinis ejus. *ψ.*
Gloria Patri, &c. Sacerdotes, &c.

Oratio.

EXaudi, quæsumus, Domine, pre-
ces nostras, quas in Beati Renati
Confessoris tui atque Pontificis solem-
nitate deferimus: & qui tibi dignè me-
ruit famulari, ejus intercedentibus
meritis ab omnibus nos absolve pec-
catis. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli
ad Hebræos.

FRatres, Plures facti sunt Sacerdo-
tes, idcirco quod morte prohibe-
rentur permanere: Jesus autem eo
quod maneat in æternum, sempiter-
num habet sacerdotium. Unde & sal-
vare in perpetuum potest accedentes
per semetipsum ad Deum: semper vi-
vens ad interpellandum pro nobis. Talis
enim decebat ut nobis esset pontifex,
sanctus, innocens, impollutus, segre-
gatus à peccatoribus, & excelsior

coelis factus. Qui non habet necessita-
tem quotidie, quemadmodum Sacer-
dotes, prius pro suis delictis hostias
offerre, deinde pro populi: Hoc enim
fecit semel, seipsum offerendo, Jesus
Christus Dominus noster.

Graduale. Sacerdotes ejus induam
salutari: & Sancti ejus exultatione
exultabunt. *ψ.* Illuc producam cornu
David: paravi lucernam Christo meo.
Alleluia, alleluia. *ψ.* Juravit Dominus, &
non poenitebit eum: tu es Sacerdos in
æternum, secundum ordinem Melchi-
sedech. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum
Lucam.

IN illo tempore: Ibat Jesus in civi-
tatem, quæ vocatur Naim; & ibant
cum eo Discipuli ejus, & turba copio-
sa. Cum autem appropinquaret portæ
civitatis: ecce defunctus efferebatur fi-
lius unicus matris suæ; & hæc vidua
erat, & turba civitatis multa cum illa.
Quam cum vidisset Dominus, miseri-
cordiâ motus super eam, dixit illi:
Noli flere. Et accessit, & tetigit locu-
lum. (Hi autem qui portabant, stete-
runt.) Et ait: Adolescens, tibi dico,
surge. Et resedit qui erat mortuus, &
coepit loqui. Et dedit illum matri suæ.
Accepit autem omnes timor; & mag-
nificabant Deum, dicentes: Quia
Propheta magnus surrexit in nobis; &
quia Deus visitavit plebem suam.

Offertorium. Veritas mea, & mise-
ricordia mea cum ipso: & in nomine
meo exaltabitur cornu ejus.

Secreta.

Sancti Renati Confessoris tui atque
Pontificis, quæsumus, Domine,
H

annua solemnitas pietati tuæ nos red-
dat acceptos : ut per hæc piæ placatio-
nis officia , & illum beata retributio
comitetur , & nobis gratiæ tuæ dona
conciliet. Per Dominum nostrum.

Communio. Beatus servus , quem ,
cùm venerit Dominus , invenerit vigi-
lantem : Amen dico vobis , super om-
nia bona sua constituet eum.

Postcommunio.

DEUS , fidelium remunerator ani-
marum ; præsta , ut Beati Renati
Confessoris tui atque Pontificis , cujus
venerandam celebramus festivitatem ,
precibus indulgentiam consequamur.
Per Dominum nostrum , &c.

Die XXIV.

IN FESTO S. HOARDONI,
Ep. & Conf.

*Missæ Statuit , de Communi Conf.
Pont. & fit com. S. Chrysogoni , Mart.*

Die XXVI.

IN FESTO S. GENOVEFÆ,
Virginis.

*Missæ Dilexisti , de Communi Virg.
cum commem. S. Petri , Ep. & Mart.*

Die XXVII.

IN FESTO SANCTI MAUDETI,
Abbatis.

Missæ de Communi Abbatum.

Die XXVIII.

IN FESTO SANCTÆ HAUDÆ,
Virginis.

*Missæ Dilexisti , de Communi Virg.
In Adventu com. feriæ.*

Die XXIX.

IN FESTO SANCTI ANDREÆ
Avellini , Conf.

Missæ Os justi , de comm. Conf. non Pont.

Oratio.

DEUS , qui in corde Beati Andreæ
Confessoris , per arduum quoti-
diè in virtutibus proficiendi votum ,
admirabiles ad te ascensiones disposuisti ;
concede nobis ipsius meritis & in-
tercessione , ita ejusdem gratiæ partici-
pes fieri , ut perfectiora semper exe-
quentes ad gloriæ tuæ fastigium felici-
ter perducamur. Per Dominum , &c.

In Adventu com. feriæ.

FESTA DECEMBRIS.

Die I.

IN FESTO S. TUGDUALI,
Ep. & Conf.

*Missæ Sacerdotes tui , de Communi
Conf. Pont. In Adventu fit com. Feriæ.*

Die IV.

IN FESTO SANCTÆ BARBARÆ,
Virg. & Mart.

*Missæ Loquebar , de Communi Virg.
cum com. feriæ Adventûs.*

Die V.

IN FESTO SANCTI PETRI
Chrysologi , Ep. & Doct.

*Missæ In medio , de Communi Doct.,
cum commem. feriæ Adventûs.*

Oratio.

DEUS, qui Beatum Petrum Chrysologum, Doctorem egregium, divinitus præmonstratum ad regendam & instruendam Ecclesiam tuam eligi voluisti: præsta, quæsumus, ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris, in intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum, &c.

Die IX.

IN FESTO S. GERTRUDIS,
Virginis.

*Missa Dilexisti, de communi Virg.
cum com. Oct. Concept. & feriæ Adv.*

Oratio.

DEUS, qui in corde Beatæ Gertrudis Virginis jucundam tibi mansionem præparasti; ipsius meritis & intercessione cordis nostri maculas clementer absterge, & ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum.

Die X.

IN FESTO SANCTI JOANNIS
à Cruce, Conf.

*Missa Os justi, de communi Conf. non
Pont. cum com. Oct. Concept. & fer. Adv.*

Oratio.

DEUS, qui Sanctum Joannem Confessorem tuum perfectæ sui abnegationis, & Crucis amatorem exitium effecisti: concede, ut ejus imitationi jugiter inhærentes, gloriam assequamur æternam. Per Dominum.

Die XII.

IN FESTO SANCTI CORENTINI,
Ep. & Conf.

*Missa Statuit, de communi Conf. Pont.
& fit com. Oct. Concept. & feriæ Adv.*

Die XVI.

IN FESTO SANCTI GACIANI,
Ep. & Conf.

*Missa Sacerdotes tui, de communi
Conf. Pont. cum com. feriæ Advent.*

Die XVII.

IN FESTO SANCTI EUSEBII,
Ep. & Mart.

*Missa Sacerdotes Dei, de communi
unius Mart. Pont. cum com. feriæ Adv.*

MISSA

AD POSTULANDAM GRATIAM
benè moriendi.

Introitus.

Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum. *Psal.* Usquequò, Domine, oblivisceris me in finem? Usquequò avertis faciem tuam à me? *ÿ.* Gloria Patri, &c. Illumina, &c.

Oratio.

OMnipotens & misericors Deus, qui humano generi, & salutis remedia, & vitæ æternæ munera contulisti: respice propitius nos famulos tuos, & animas refove, quas creasti, ut in horâ exitûs earum absque peccati maculâ tibi Creatori suo per manus sanctorum Angelorum repræsentari mereantur. Per Dominum nostrum.

Lectio Epistolæ Beati Pauli Apostoli
ad Romanos.

FRatres, Nemo nostrum sibi vivit, & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus; sive mori-

mur, Domino morimur; five ergò vivimus, five morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur. Tu autem quid judicas fratrem tuum? Aut tu, quare spernis fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus; quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

Graduale. Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es, Domine. *ψ.* Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Alleluia, alleluia. *ψ.* In te, Domine, speravi, non confundar in æternum: in justitia tua libera me, & eripe me; inclina ad me aurem tuam, accelera, ut eripias me. Alleluia.

Post Septuagesimam omisso Alleluia, & Versu sequenti dicitur.

Tractus. De necessitatibus meis eripe me, Domine. Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte omnia peccata mea. *ψ.* Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus, in te confido, non erubescam: neque irrideant me inimici mei. *ψ.* Etenim universi, qui te expectant, non confundentur: confundantur omnes facientes vana.

Tempore Paschali omittitur Graduale, & ejus loco dicitur Alleluia, alleluia. ψ. In exitu Israël de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro, Alleluia. *ψ.* Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo, & psallam tibi, gloria mea. Alleluia.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.

IN illo tempore: Dixit Jesus Discipulis suis. Attendite vobis, ne fortè graventur corda vestra in crapulâ, & ebrietate, & curis hujus vitæ, & superveniat in vos repentina dies illa; tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quæ futura sunt, & stare ante Filium hominis.

Offertorium. In te speravi, Domine; dixi, tu es Deus meus; in manibus tuis tempora mea.

Secreta.

SUscipe, quæsumus, Domine, hostiam, quam tibi offerimus pro extremo vitæ nostræ: & concede, ut per eam universa nostra purgentur delicta; ut qui tuæ dispositionis flagellis in hac vitâ atterimur, in futurâ requiem consequamur æternam. Per Dominum.

Communio. Domine, memorabor justitiæ tuæ solius: Deus, docuisti me à juventute meâ, & usque in senectam, & senium, Deus, ne derelinquas me.

Postcommunio.

QUæsumus clementiam tuam, omnipotens Deus, ut per hujus virtutem Sacramenti nos famulos tuos gratiâ tuâ confirmare digneris: ut in horâ mortis nostræ non prævaleat contra nos adversarius, sed cum Angelis tuis transitum habere mereamur ad vitam. Per Dominum nostrum, &c.

F I N I S.